



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An persona Christi, verè & propriè possit dici composita ex natura
divina & humana, & ex humanitate & substantia Verbi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Accidentaliter, sed substantialiter: quare cum natura humana assumpta fuerit ad esse Verbi, non fuit illi accidentaliter, sed vere substantialiter unita. Unde ad probationem in contrarium, eodem modo respondendum est, quod enim trahitur ad esse alterius, non unitur illi accidentaliter, sed vere substantialiter, quamvis possit ab illo abesse, sine ipsius corruptione; ut patet in corpore, quod ab anima rationali sine ipsius corruptione separari potest, per solam destructionem corporis, aut mutationem.

Obicies secundò: Quidquid est extra essentiam alicujus, est accidens, saltem logicum, & de eo prædicatur accidentaliter: Sed humanitas est extra essentiam Verbi Divini: Ergo est accidens, saltem logicum, respectu illius, & de eo prædicatur accidentaliter.

Respondet primò, negando Majorem: rationalitas enim est extra essentiam animalis, non tamen est accidens respectu illius: forma est præter essentiam materiæ, & tamen non se habet ad illam ut accidens logicum, nec prædicatur de ea accidentaliter.

Respondet secundò, distinguendo Majorem: Quidquid est extra essentiam alicujus, est accidens saltem logicum respectu illius, & de eo prædicatur accidentaliter, si non communicet cum illo in aliquo esse substantiali, concedo Majorem. Si communicet cum illo in aliquo substantiali, nego Majorem: humanitas autem Christi trahitur ad esse substantiale Verbi Divini: unde licet sit extra ejus essentiam, non se habet ut accidens logicum respectu illius, nec de eo prædicatur accidentaliter.

ARTICULUS II.

An Persona Christi, verè & propriè possit dici composita ex natura divina & humana, & ex humanitate & subsistentia Verbi?

Negant plures ex antiquis Theologis, ut D. Bonaventura, Scotus, Durandus, & Richardus, existimantes unionem naturæ divinæ & humanæ in Christo, non esse rigorosam & propriam compositionem, sed impropriad tantum & metaphoricam. Alii verò fatentur quidem Christi personam esse verè & propriè compositam ex duabus naturis, sed non ex Persona Verbi & humanitate. Ita Asturicensis quæst. 7. de gratia Christi conclus. 4.

§. I.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò: Christus est persona verè & propriè composita ex natura divina & humana. Ita S. Doctor hic art. 4. & ejus Discipuli communiter.

Probat primò ex 6. Synodo Constantino-politana act. 8. ubi formaliter definitur per unionem Incarnationis factam esse compositionem, & post unionem personam Christi esse compositam. Et ratio redditur ibidem, quia unio quæ per Incarnationem facta est, non solum inconfusè ea quæ convenerunt conservat, verum etiam divisionem suscipit. Idem definitur in 6. Synodo generali actione 4. in Epist. Agathonis Papæ ad Im-

peratores Heraclium & Tiberium, & actione 11. in Epist. Sophronii, approbata à toto Concilio, ubi Christus vocatur persona composita ex inconfuso conflans temperamento. Et actione 29. cap. 6. damnantur qui non confitentur unam substantiam in Christo ex duabus naturis compositam. Eodem modo loquuntur SS. Patres, præsertim Damascenus lib. 3. fidei ubi ait: In Domino Iesu Christo duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam; & D. Dionysius cap. 4. de divin. nomin. ubi hanc compositionem vocat inestabilem.

Probat secundò ratione: Quod constat ex realiter distinctis & unitis, est verè compositum ex illis; nam compositio nihil aliud est quàm distinctorum simul positio, sive unio; componere enim idem est ac simul cum alio ponere: Sed persona Christi constat ex duabus naturis realiter distinctis & unitis: Ergo est verè composita ex duabus naturis, divina scilicet & humana. Probat Minor: Persona Christi est divina simul & humana: Sed non esset talis, nisi per divinam & humanam naturam in esse talis constitueretur, atque ita nisi utramque contineret: Ergo verè constat ex duabus naturis realiter distinctis & unitis.

Confirmatur: Ubi est multitudo rerum abque compositione, necessarium est ut sit inordinata confusio, ut patet in acervo lapidum: Sed in persona Christi non est inordinata confusio naturarum: Ergo persona Christi debet esse composita ex duabus naturis.

Probat tertio conclusio: Terminus unionis hypostaticæ non est aliquid simplex, sed compositum: Atqui persona Christi est terminus unionis hypostaticæ: Ergo non est simplex, sed composita. Minor constabit ex infra dicendis, Major verò probatur: tum quia contra rationem unionis est terminari ad aliquid simplex, cum semper unio sit respectu distinctorum: tum etiam, quia extrema simplicia illius unionis ei præexistebant: Sed quod præexistit unioni, non est terminus illius: Ergo terminus unionis non est quid simplex, sed compositum.

Dico secundò: personam Christi esse compositam ex natura humana & persona Verbi.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedenti: Licet enim Concilia supra relata formaliter non loquantur de hac compositione, sed solum de illa quæ ex natura divina & humana; ista tamen non potest admitti, nisi alia ex natura & persona præsupponatur, quia prius & immediatius natura humana unitur personæ Verbi, quàm naturæ divinæ; nam ratio ob quam unitur naturæ divinæ, est quia unitur personæ Verbi: Ergo eo ipso quod SS. Patres & Concilia agnoscunt in Christo compositionem ex natura divina & humana, implicite etiam in eo admittunt compositionem ex natura humana & persona Verbi. Adde rationem præcedenti conclusione adductam, hanc etiam convincere; siquidem unio distinctorum est compositio: Sed in persona Christi est unio Personæ Verbi cum natura humana, quæ realiter distinguuntur, & prior quàm unio duarum naturarum: Ergo in Christo est compositio ex persona Verbi & humana natura.

§. II.

Præcipua objectiones solvuntur.

- 31 **O**bjicies primò : Omnis compositio est ex partibus: Sed natura divina in Christo non habet rationem partis : Ergo Christus non est compositus ex natura divina & humana. Major videtur certa, quia componere est totum ex partibus facere. Minor etiam est evidens, nam omnis pars est quid incompletum, ac per consequens imperfectum, & subordinatur ipsi toti tanquam suo fini : At natura divina nequit esse quid incompletum & imperfectum, nec personam Christi tanquam suo fini subordinari: Ergo nec habere rationem partis. Unde D. Thomas B in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 3. & in 3. ad Annibal. eadem dist. qu. 1. art. 3. & quæst. de unione Verbi art. 1. ad 6. docet personam Christi post Incarnationem posse dici aliquo modo compositam, quia in illa salvatur aliqua ratio compositionis, hæc nimirum, quod componentia existant peridem esse, non tamen esse ibi veram rationem compositionis, eò quod divina natura rationem partis habere nequeat.
- 32 **R**espondeo negando Majorem, licet enim compositio, quæ est regulariter in usu, aut quæ naturaliter contingit, involvat plures imperfectiones, quarum prima & omnium aliarum radix est, quod extrema illius habeant verè rationem partis, seu entitatis incompletæ; nihilominus sicut ratio sapientiæ, quæ apud nos est accidens, qualitas, & habitus, potest ab iis omnibus imperfectionibus depurari, & sic depurata in Deo repetiri formaliter. Et sicut licet unio quæ regulariter est in usu, dicat plures imperfectiones ex parte unitorum, & illius quod ex ea resultat, ejus tamen ratio formalis abstrahit ab his omnibus imperfectionibus, & sic abstracta ponitur verè & simpliciter inter humanam naturam & Verbum. Ita similiter compositio ex natura divina & humana, quæ in Christo reperitur, abstrahit, saltem ex parte unius extremi, nèpenaturæ divinæ, ab omnibus illis imperfectionibus quæ reperiuntur in compositionibus naturalibus & creatis, quapropter à Dionysio vocatur ineffabilis. Unde natura divina non habet in mirabili illa compositione rationem partis, sed duntaxat extremi ad constitutionem personæ compositæ Christi concurrentis. Quod potest tribus exemplis declarari & illustrari. Nam ex Deo & creaturâ univèrsitate resultat quoddam compositum, quod dicitur universum, cuius caput est Deus, juxta Aristotelem 12. Metaph. textu 62. & tamen hoc compositum non est ex Deo tanquam ex parte. Item ex intellectu beati & essentia divina per modum speciei unita, resultat unum principium visionis beatificæ, & tamen essentia divina non ingreditur compositionem illam tanquam pars, sed tanquam extremum, seclusâ partis imperfectione. Tertio Sacramentum Eucharistiæ est quid compositum ex Sacramento & re Sacramenti, nimirum ex speciebus panis & vini, & ex Christo sub illis contento, & tamen Christus non habet rationem partis; sic etiam dicimus in proposito, divinitatem & personalitatem Verbi Divini ingredi compositionem quæ in Christo reperitur, non tanquam partem, sed velut extremum quoddam ad constitutionem personæ compositæ concurrentis. Hinc optimè Doctor Sanctus hæc art. 4. ad 2. dixit hanc compositionem personæ Christi ex natura divina & humana, non esse ratione parti-

A um, sed ratione numeri; quod est dicere, compositionem personæ Christi ex natura divina & humana, solum importare quod est de ratione compositionis ut sic, nempe convenientiam plurium rerum ad constitutionem alicujus non verò imperfectiones illas quas illa compositio importat in puris creaturis, inter quas præcipua est quod ambo extrema componentia sint partes. Ex quo facile intelliges, quod quando locutio præ citatis, docet in Christo non esse veram rationem partis habere nequeat, loquitur de compositione non secundum se, & secundum suam rationem formalem, sed secundum leges & imperfectiones quas importat in puris creaturis, in quo sensu, certum est illam non continere personam Christi.

Dices, Omne compositum est quoddam totum: Sed omne totum est ex partibus: Ergo omne compositum ex partibus esse debet.

Confirmatur: Illud in quo aliquid resolvitur est pars: Sed omne compositum resolvitur in ea ex quibus constat: Ergo illa habent rationem partis.

Ad instantiam respondeo negando Minorem, non enim est de ratione compositi ut sic, quod sit quoddam totum strictè sumptum, quatenus dicitur tale per respectum ad partes quibus constat; sed solum quod sit quoddam ens completum, quod si partibus constet, est quoddam totum propriè, secus verò si ex extremis solum non habentibus rationem partis coalescat, nisi forte per totum intelligatur ens completum, prout distinguitur ab ente incompleto essentialiter ordinato ad componendum.

Ad confirmationem, nego etiam Majorem, non enim semper verum est illud in quod resolvitur aliquod compositum debere esse partem, quia sufficit quod sit extremum realiter ab alio distinctum, ut patet in tribus exemplis supra adductis.

Objicies secundò: Omne compositum est majus atque perfectius quocumque ex componentibus seorsum sumptis: Sed Christus non est quid perfectius naturam divinam, aut personalitatem Verbi: Ergo Christus non est quid compositum ex natura divina & humana, & ex humanitate & substantia Verbi.

Respondeo quod quando extrema componentia sunt finita, tunc compositum est majus quolibet illorum, non verò quando unam ex extremis est infinitum, ut contingit in propolis. Et ratio est, quia extremum illud infinitum, eminenter continet totam perfectionem alterius unde compositum istud non potest dici majus nisi ad summum extensivè.

Objicies tertio: Si Christus esset verè compositus, verum esset absolutè Verbum Divinum & Filium Dei esse compositum; quia ea quæ dicuntur de Christo, etiam dicuntur de Filio Dei per communicationem idiomatum: Sed non potest dici de Verbo & Filio Dei, quod sit persona composita: Ergo neque de Christo.

Respondeo Filium Dei, sive Verbum, absolute & sine addito significare secundam personam Trinitatis, ut in natura divina subsistens, quomodo ipsi repugnat compositio, unde absolute non est dicendum Filium Dei aut Verbum esse compositum, sed cum addito, quatenus subsistit in natura humana, aut quatenus est persona humana. Ad id verò quod additur de communicatione

ARTICULUS III.

Verum inter Verbum & humanitatem mediet quidam modus substantialis per quem natura humana formaliter conjungatur personalitati Verbi?

S. I.

Proponitur status difficultatis, & conclusio negativa statuitur.

VT status hujus difficultatis clarè percipiatur, notandum est, quod sicut unio materiae cum forma potest sumi tripliciter. Primò effectivè, pro actione generantis, per quam materia & forma inter se conjunguntur, & quæ potius unio quam unio dici debet. Secundò formaliter, pro eo quod illa extrema formaliter inter se conjungit, sive sit aliquis modus substantialis, sive non, de quo disputant Philosophi in 2. physic. Tertio relativè, pro relatione scilicet quæ resultat inter ipsam materiam & formam, ex eò quòd inter se conjunctæ fuerunt. Ita similiter unio Verbi Divini cum humanitate tripliciter usurpari potest, nimirum pro actione per quæ Deus suâ infinitâ virtute humanitatem conjunxit Verbo Divino, & quæ est communis tribus sanctissimæ Trinitatis personis, debetque dici potius unio, quam unio; pro eo quod formaliter conjungit humanitatem Verbo Divino; & pro relatione quæ resultat in humanitate assumpta, ex conjunctione illius cum Persona Verbi. Si loquamur de unione hypostatica primo modo sumpta, certum est illam esse quid increatum, nimirum actum divini intellectus & voluntatis, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Item si sit sermo de ea tertio modo considerata, concedunt omnes illam esse aliquod accidens de prædicamento relationis, resultans in ipsa humanitate assumpta, cuius parte Verbi correspondet solum respectus rationis. Unde tota difficultas devolvitur ad unionem secundo modo spectatam, de qua quæritur, an sit aliquis modus substantialis, à Verbo & humanitate modaliter distinctus, qui sit fundamentum illius relationis quæ resultat in humanitate assumpta, & terminus formalis actionis unitivæ: quod ut magis declaretur.

Notandum secundo, inter Verbum & humanitatem duplicem nos posse concipere nexum: unum realiter & entitativè distinctum ab extremis, & qui sit tertia quædam entitas asserens proprium esse; eo proportionali modo quo duo lapides ununtur per calcem, vel duo panni, mediante filo, quo unus asuitur alteri; alterum qui sit solum modaliter distinctus ab extremis, & similis illi quem plures Philosophi inter materiam & formam constituunt. Non est quæstio hic de primo nexu, sed tantum de secundo, nimirum de modo substantiali unionis, de quo quærimus, utrum inter Verbum & humanitatem mediet, eaque formaliter inter se conjungat.

Affirmant Suarez, Vazquez, Cabrera, & excellentioribus Thomistis tres illustrissimi ac eruditissimi Episcopi, Hetrera Tarazonensis Episcopus, Aravio Episcopus Segobienis, & Godoy Episcopus Oxomenis. Negant vero Cajeranus, Alvarez, Nazarius, Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alii, cum quibus.

Dico, Verbum uniri humanitati sine ullo processu

M m m

atione idiomatum, dicendum est, quòd ea quæ absolute dicuntur de Christo, possunt dici absolute de Verbo, aut Filio Dei, per communicationem idiomatum, nisi sint talia quòd determinant hoc subiectum, Christus, ad hoc ut sit solum pro compositione naturæ humana & divinitate: hæc autem prædicata, Christus est compositus, Christus est terminus resultans unionis personalitatum naturarum, determinantem ipsum Christum ad standum pro aggregato naturæ humana & divinitate, & sic non possunt dici sine addito de Filio Dei, aut de Verbo, sed solum cum addito, nempe quatenus est persona humana, sive prout in natura humana subsistit.

Obijciunt quòd contra secundam conclusionem: Personalitas est medium in quo divina & humana natura in Christo ununtur: Sed medium in quo ununtur partes componentes, non est extremum componens: Ergo personalitas Verbi non potest propriè dici extremum in hac compositione de qua agimus.

Confirmatur: Esti inter accidens & subiectum inhaeret, vera reperitur compositio, non tamen inter ipsum accidens & quantitatem quæ mediante inhaeret subiecto: quia quantitas non est subiectum inhaerens ipsum accidens, sed medium quo accidens conjungitur & copulatur subiecto, eique inhaeret. Atqui ad eum modum se habet personalitas Verbi Divini, in hac mirabili unione, de qua agimus, est enim ratio univniendi divinam naturam humanitati: Ergo non potest propriè dici extremum in hac compositione.

Respondeo quòd quando id quòd est ratio univniendi unum extremum cum altero, solum habet rationem nexus & vinculi (ut est unio inter materiam & formam, in sententia illorum qui dicunt illam esse quendam modum substantialem ab ipsa materia & forma distinctum) non habet rationem extremi componentis: sed quando non habet rationem nexus & vinculi, tunc potest habere rationem componentis. Sic punctum continuans partes, non solum est medium quo illæ ununtur, sed etiam est aliquo modo extremum quòd unitur. Sic etiam quantitas est medium quo albedo unitur corpori, & simul est extremum quòd unitur corpori. Cum ergo personalitas Verbi Divini non habeat puram rationem nexus naturæ humanæ cum divinitate, verè terminat illam, eamque complet in genere substantiæ, potest esse extremum in compositione illa mirabili quæ in Christo reperitur.

Ad confirmationem, negatur assumptum, quòd videlicet inter quantitatem & albedinem v. g. non reperitur vera compositio, nisi enim esset vera compositio, non possèt dici ipsa quantitas alba. Sed de hoc in Philosophia.

Ex dictis colliges quid sit sentiendum de opinione Cabreze, ponentis compositionem in persona Christi, nedum ex natura humana & divinitate, tam ut dicit naturam quàm personam Verbi, sed etiam ex alia & alia ratione subsistendi formaliter: cum enim compositio sit distinctorum unio, & distinctio realis non reperitur in Christo quoad proprium, nisi inter naturam divinam & humanam, & inter divinam personam & naturam humanam, nulla alia potest realis compositio reperiri, quàm ex natura humana & divina, & ex persona Verbi & natura humana.